

struere, ut unusquisque quod sibi placuerit eligat; tum quia saepe plures inveniuntur qui sufficientem habent rationem legem jejunii aut abstinentiae non servandi, et hanc rationem aperire non tenentur; tum quia in praesenti rerum statu impossibile est, saltem multis in locis, officium tabernarii aliter exercere.

Qui in talibus constituti sunt circumstantiis ut jejunium servare aut a carnis abstinere non possint absque gravi sui vel suorum detimento, eadem ratione eximuntur a lege. Unde 1º uxor et filii-familias carnes diebus prohibitis manducare possunt, si maritus aut parentes id rigorose præcipiant, et precibus cedere nolint aut blasphemias perpetuo evomant, etc. 2º Item famuli et operarii qui aliter panem siccum comedere, famulatum aut servitum cum magno detimento amittere, aut graves alias molestias experiri tenerentur. 3º Pariter excusantur mercatores aliqui viatores qui in publicis diversoriis vel in domibus privatorum apud quos manducare tenentur, cibos legi abstinentiae conformes obtinere non possunt. 4º Item adhuc qui, ob notabilem rationem, v. g., ad sustentandam suam familiam, ad se in quadam arte perficiendos, certis anni temporibus eunt Parisios vel in plaga in quibus abstinentiam servare nequeunt, excusantur.

Sedulo igitur pensandæ sunt circumstantiae personarum, præceptorum violandorum, rationum ad tales violationem impellentium, et decisio prudenter, ex æquo et bono, ferenda est, cavendo similiter a rigore pernicioso et a nimia laxitate.

*Notandum* insuper nulla ratione licitum fieri posse Deum aut Ecclesiam erubescere, vel transgressioni legis in contemptum ejus petitæ assentire.

Milites licite utuntur cibariis sibi præstitis, sine distinctione, et a longo tempore jam ubique ipsis quotidie præstantur carnes, quia secus difficile esset convenientia eis præbere alimenta; lege ergo abstinentiae non obligantur. Verum aliud dicendum est de iis qui, militia pro tempore derelicta, vivunt ut privati; vel de officialibus qui, in praesidiis, urbibus aut pagis degentes propriis ex-

pensis sibi provident; vel semestrium habentes, qui ut cæteri facti sunt cives: nulla ratione a communi lege eximuntur. In pluribus diocesisibus militares in *activitate*, sine ulla distinctione, cum uxoribus et liberis, declarantur ab abstinentia exempti, exceptis, ad sumimum, non nullis diebus, ut feria sexta Majoris Hebdomadis.

## CAPUT QUARTUM.

## DE ABSTINENTIA EXTRA JEJUNIUM.

1º Constat, ex dictis, abstinentiam a carnis nunc partem esse jejunii, ac proinde diebus jejunii servandam esse nisi aliqua sit causa legitime excusans.

2º Olim multo plura existebant jejunia quam hodie; præter enim magnum quadragesimale jejunium, in primis sæculis jejunabatur etiam feria quarta, feria sexta et sabato singularum hebdomadum. Sic quippe habet S. Ang., Epist. 36, n. 30: « Cur autem quarta et sexta » maxime jejunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quod » considerato Evangelio, ipsa quarta sabbati, quam vulgo » quartam feriam vocant, conciliuin reperiuntur ad occi- » dendum Dominum fecisse Judæi... Passus est Dominus, » quod nullus ambigit, sexta sabbati, quapropter et ipsa » sexta jejunio deputatur. » Postea, n. 32, refert idem Doctor S. Ambrosium, a se circa jejunium sabbati interrogatum, respondisse: « Quando hic sum (Mediolani), » non jejuno sabbato; quando Romæ sunn, jejuno sabbato! » Unde eo tempore alii jejunabant, alii non jejunabant die sabbati. *Innocentius I*, quinto ineunte sæculo, Epist. 1 ad Decentium, cap. 4, ait: « Non ergo nos ne- » gamus feria sexta jejunandum, sed dicimus et sabbato » hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis, vel » his qui Christum secuti sunt, induxerunt. »

3º Jujunium in his diebus paulatim cessavit: Leo IV, anno 855 mortuus, illud tradit, Decreto, part. 3, dist. 3, can. 11, ut de consilio; abstinentiam feria quarta pariter

ut de consilio, et die veneris, ut de præcepto, secundum explicationem glossæ. Item Greg. VII, in synodo Romæ celebrata anno 1078, cap. 8, Decreto, part. 3, dist. 5, can. 31, relato, et in constit. Bened. XIV, *Jampridem*, diei 23 jan. 1745, ac in synodo diceces., l. 11, cap. 5, n. 5, citata, hortatur ad servandam abstinentiam sabbati nisi major interveniat festivitas: de jejunio hoc die faciendo nihil dicit.

Hinc 1º abstinentia feriae quartæ a multo tempore cessavit, vel tantum fuit de consilio; 2º abstinentia diei veneris ubique est de præcepto, et nulla est in hoc controversia inter catholicos; 3º abstinentia diei sabbati in undecimo sæculo erat tantum de consilio etiam Romæ, sed postea, ex consuetudine, facta est de præcepto apud Latinos, saltem in plerisque locis.

Dicimus in plerisque locis; nam 1º in pluribus usus carnium remansit licitus, v. g., in quibusdam Galliæ dicecibus, sabbatis inter Nativitatem Domini et Purificationem B. Mariæ intervenientibus, quod agnoscit Bened. XIV, in const. et capit. synodi diceces. modo citatis; 2º in pluribus Hispaniarum regnis mos invaluerat, « cuius originem difficile est divinare, » inquit Bened. XIV, de Synodo diceces., l. 11, cap. 5, n. 6, ut ita in sabbato carnibus abstineretur, ut simul vescerentur interioribus extremisque animalium partibus, » ut sunt pedes, alæ, capita, colla. Rogante Philippo V, Hispaniarum rege, ipse Bened. XIV, const. *Jampridem*, diei 23 januarii 1745, ad Apostolicum nuntium prope dictum regem directa, indulxit « ut in regnis Castellæ, Leonis et Indiarum, per dies sabbati, quibus tamen neque abstinentia consueta Quadragesimæ, neque aliud jejunium præcipitur, quibuslibet animalium partibus fideles vescerentur. » Insuper in tota Hispania a pluribus seculis viget bulla dicta *Cruciata*, vi cuius unusquisque obtinere potest, mediante modica eleemosyna, facultatem carnes edendi plerisque abstinentiæ diebus. 3º Græci etiam catholici carnes diebus sabbatorum, extra Quadragesimam, comedunt; in Quadragesima iisdem diebus abstinent a carnis, sed

non jejunant, excepto Sabbato sancto. *Bened. XIV*, const. *Etsi pastoralis*, diei 26 maii 1742, § 9, n. 8 et seq.

4º Jejunium nunquam fuit præscriptum, ne quidem in Quadragesima, diebus dominicis, propter memoriam resurrectionis Domini, quæ in eis celebratur; non tamen prohibetur, et ex laudabili motivo voluntarie susceptum, bonum est. Abstinentia similiter, ob eamdem rationem, non servatur, ex mandato Ecclesiæ, diebus dominicis; extra Quadragesimam; et si vigilia aut dies S. Marci in dominicam incidat, jejunium cum abstinentia, aut sola abstinentia sabbato præcedenti servatur, Decretal, l. 3, tit. 46, cap. 1 et 2.

5º Si Nativitas Domini die veneris vel sabbato celebretur, carnis, propter festi excellentiam, vesci possunt fidèles, secundum consuetudinem Ecclesiæ universalis; sunt verba Nicolai I ad Bulgares, in Decretal. loco citato, cap. 5, et pro sabbato eruitur ex decreto Greg. VII supra citato.

FINIS TRACTATUS DE PRÆCEPTIS ECCLESIE.